Lane Medical Library

DE HYPERTROPHIA PORTIONIS VAGINALIS UTERI EJUSQUE OPERATIONE METHODO GALVANOCAUSTICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. M. JUNII A. MDCCCLXI.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS KIRSCHSTEIN,

POSNENSIS

OPPONENTIBUS:

A. FREUND, MED. ET CHIR. CAND.

C. DIERICH, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICIA. NEUMANN.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, CELEBERRIMO

ALBR. TH. MIDDELDORPF,

MED. ET. CHIRURG. DOCTORI, PROF. PUBL. ORD. FAC. MED. CLINICI CHIRURG. OPHTHALM. UNIV. VIADRINAE VRATISL. DIRECTORI, COMM. REG. AD EXAMIN. MED. DELECTAE MEMBR., AUGUST, BORUSS. REG. IN REBUS MED. A. CONSILIIS, LITTERARUM SOCIETATUM COMPLURIUM SODALI ET LEGIONIS HONORARIAE EQUITI ETC.,

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO, DILECTISSIMO,
EGREGIE DE SE MERITO SUMMEQUE SEMPER
VENERANDO.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Procemium.

Tota feminarum vita in sexu posita. Bona earum valetudo et fortuna maxime ex bene perficiendis functionibus earum corporis partium, quae ad sexum spectant, nectuntur. Jam ab ineunte adolescentia eas in effectu esse percipimus. Incipiente menstruo simul feminae aetas adulta ingruit. Majora corpus incrementa capit universaque parta maturitate conscientia oritur in virgine officiorum munerumque, quae ei sunt explenda. Quam arta sint vincula, quibus vita sexualis virginis et ceterae functiones corporis inter se connectuntur, eo intelligitur, quod minimae harum enormitates systemati sexuali perturbationes parant. Menstrua tum praematura videmus sequi tum nimis tarda, tum minora tum profusa neque in tempore; itaque efficitur, ut alter hic morbus ex morbo priore ortus rursus toti corpori detrimentum inferat, praecipue vero animi affectiones irritet vehementissime. Quum jam hoc vitae tempore feminas

animum ad regionem sexualem referre videmus, tum eo magis orta graviditate. Tantae sunt permutationes, quas subit uterus, ut jam pathologicae habendae sint. Ut embryo succrescit, ita pariter uterus immutatur. Lente hoc organum fructu ejecto veterem verum statum formamque recipit forte mox denuo munere functurum, ut recte et jure contendi possit, vitam feminarum potissimum esse sexualem. Ex sanis organis sexualibus omnis pendet feminarum fortuna, qua re commotus in aegrotationem quandam uteri, hypertrophiam portionis vaginalis, intentionem direxi, in qua curanda summi successus methodo galvanocaustica sunt impetrati. —

Uterus est corpus musculosum, cavum, ex lateribus compressum, piri formam imitans. Inter intestinum rectum et vesicam urinariam interpositus, maxima parte peritonaeo, quod utroque latere ligamentum uteri latum format et tubam ovariumque cum utero conjungit, circumdatus in tres partes divitur, in partem superiorem sive fundum supra conjuncturam ossium pubis situm, in partem mediam sive corpus et in infimam, quam tenuissimam et maxime artam collum vel cervicem uteri vocamus. In medio collum ita summa vagina capitur, ut infima ejus pars 10 ad 12 millim. soluta in cavum vaginae promineat, quae, hac de causa portio vaginalis appellata, in orificium externum cum labiis anteriore et posteriore terminatur. In utero distinguuntur tria strata inter se discrepantia, tunica serosa peritonaeo formata, deinde crassum musculorum stratum vasculis abundans, et membrana pituitaria. Stratum musculorum tribus straturis componitur, quarum externa ex fibris longitudinalibus et transversis, media crassissima, insignis vasis numerosis inprimis venis cum sanguine dilutiore, ex transversis, obliquis et longitudinalibus fibris, interna denique ex compagine tenuiorum longitudinalium et crassiorum transversarum et obliquarum fibrarum constat, ex quibus transversae usque ad extremum orificium uteri pertinent et sphincterem uteri formant. Tunica mucosa uteri helvola, in cavo levissima, papillis carens, verumtamen glandulis utera imitantibus praedita, quae glandulae uteri vocantur et una ex parte foraminibus parvulis in superficie tunicae mucosae sitis formantur, altera parte caeca tum simplici tum divisa saepius in spiralem curvata. In cervice tunica mucosa est rugosa et palmas plicatas format. Distinguuntur in ea quoque tria strata, primum stratum epithelii, internam nudam superficiem convestientis et in tunica mucosa ex epithelio fibratorio (Flimmerepithel) in portione vaginali ex epithelio lamelloso (Pflasterepithel) constantis, deinde stratum medium, membrana carens structura et stratum internum, materia conjungenti laxae formae

incertae musculorum straturae internae affixum. Intra plicam tunica mucosa majora et minora velamenta, sinuosis ad 1''' altis foveolis similia, saepissime etiam nonnullos folliculos ad 1 ad 2''' magnos liquore mucoso completos, qui ovula Nabothi appellantur continet. In ore uteri papillae tunicae mucosae sunt, quae, Epithelio lamelloso convestitae, tum pyramidales tum nodo similes membrana prolongata formantur.

Inter omnes aegrotationes, quibus feminarum sexus affici solet, hypertrophia portionis vaginalis prope rarissima, tamen vero, quum varios uteri morbos sequi posse videatur, animum ad eam nos intendere opportebit. Ut alios hae capiunt decursus, ut ipsa portio vaginalis magis minusve inclinat ad morbum et aliis afficitur viribus infestis, hypertrophiae portionis vaginalis alia est ratio. Sana caligine non est durior, conica in cavum vaginae 6''' ad 8''' prominens, aegrotans autem longitudine 5—6'' assequi potest. Talem hypertrophiam Virchow in rostri speciem formatam et polyposam descripsit (Virch. Arch. 1854. Tom. 7. p. 165 et seq.) Infima pars portionis vaginalis tum longe inter labia pubis exstat forma aut cylindri aut coni aut cunei. Superficies tum levis tum praedita magno numero foraminum grani milii magnitudine, in infundibuli speciem formatorum, in sacculos diversa magnitudine glandulis dilatatis formatos ducentium, qui gelatinosa pituita obtecti esse solent.

Aetiologia.

Hic morbus tantum ab inflammatione uteri vel ipsius portionis vaginalis proficisci potest. Dum vero in medicina inflammationis notio accurata egebit definitione, difficile erit, pro certo dicere, quae hypertrophiarum sint primae causae.

„Von Alters her lehrt die Chirurgie (Bardeleben Band I., pag. 175) bestehe Entzündung, wenn an einer Körperstelle Schmerz, Hitze, Röthe und Geschwulst auftreten.“ Unter dem Einfluss der Entzündung (Bardeleben Bd. I., pag. 178) kann eine erhöhte Resorption stattfinden. Dies gilt besonders für das Fett, aber auch ganze Organe, wie z. B. die Hoden, können in Folge einer Entzündung durch Resorption verkleinert werden. Andererseits beobachtet man bei der Entzündung häufig eine vermehrte plastische Thätigkeit, durch welche Hypertrophie zu Stande kommen kann.

Explanatio perspicua esse videtur, inflammationem largiore sanguine ad partem valetudine affectam affluente con-

ciri, quam rem et ruboris, caloris et hypertrophiae esse causam putaverunt. Nonnumquam verum accidit, ut haec explanatio repudiari non possit ut in hypertrophiis cordis continua plethora procreatis, attamen, quum praecipue ex sanguine deprarato febri existit, in qua materiae mutationes motusque (Stoffwechsel) majore impetu peraguntur et major calor procreatur, quam in corporibus salubribus, inflammationem largiore confici sanguine affluente contendi non potest. Id tantum inter omnes constat, in inflammatione plerumque affectam partem irritari aliterque ali. Qua re succi magis per cellulas fusiformes (Spindelzellen) ducuntur itaque hypertrophia parenchymatum efficitur.

Virchow hypertrophiam portionis vaginalis tantum ex quadam proclivitate gigni posse folliculis majoribus in labiis orificii uteri formatis contendit. Quae quum opinio maxime probabilis esse videatur, tamen copiosae Scanzonii observationes non sunt negligendae, quibus constat, pressu diutius effecto vel graviore contusione portioni vaginali in pariendo illata procreatas hyperaemias longum vel brevius tempus perstantes summo esse momento. (Scanzoni, Lehrbuch der Krankheiten der weiblichen Sexualorgane. 1859, pag. 69.)

Hypertrophias breve tempus durantes saepius abortum insecutas observavri, quae vero omnes apta cura adhibita per spatium 8 dierum ad 6 hebdomades sublatae sunt. Praeterea hypertrophiae post partum prolapso utero, quod et amplificatione uteri et relaxatis, ut post partum fieri solet, ligamentis accidit, exstant. Hanc morbi speciem in clinico hujus urbis observavi eoque Scanzonii rei explicatio affirmatur, quum prolapso utero item irritatio et hyperaemia progignantur.

Idem Becquerel de hac re dicit, quod sequitur: Dans un certain nombre des cas d'abaisement, l'utérus et le eol sont le siège soit d'une hypcrtrophie phlegmatique de leur propre tissu, soit de produits de nouvelle formation développés dans leur trame interne ou bien à leur surface externe. Nous devons faire ici observer que M. Huguier a démontré que ceque l'on prend bien souvent pour l'abaisement de l'utérus hypertrophique du col, qui vient faire saillie, et il invoque pour preuve: 1⁰ plus grande longeure de l'utérus mesurée avec l'hysteromètre introduit dans cavité; 2⁰ l'empossibilité dans la quelle on est de le reduire et la ne'cessité de le traiter, si on vent la faire disparaître, par l'amputation de la partie exubérante. (Becquerel. Tracité Clinique des maladies del'utérus.)

Sunt quidem auctores, qui in ipsa portione vaginali primam morbi causam esse existimant. Quam ad sententiam tuendam et defendendam afferunt, tunicam mucosam cervicis uteri, quum vasis et folliculis abundet inter duplicaturas illius positis, maxime pronam esse in inflammationem; proclivitatemque etiam sanguine largius ad cervicem uteri affluente et ipso partis situ, quo irritionibus et damnis varii generis est obnoxia, augeri. Quam inflammationem cervicis materia albuminosa, qua glandulae cervicis abundent et patente uteri orificio, quod clausum esse solet, se prodere dicunt, simul etiam erosione et ulceratione orificii uteri. Cervix tumescit, sanguine repletur, increscit; quum vero nonnumquam, morbo etiam per annos constante, mollis tactu permaneat, substantia ejus sedem praebet inflammationi, liquoribus exsudatis transjicitur, neque solum amplificatur sed etiam durescit, quae mutatio saepius in iis, quae pepererunt, quam in ceteris observatur tum non nuptis, tum infecundis.

Si vero anatomiam intueamur uteri numerosis venis uberrimi, quae insuper, valvulis curentes sanguinem haud ita commode praecipue in graviditate eaque finita conducunt, et si consideramus, externas portionis vaginalis irritationes, quibus inprimis puellae publicae saepissime et vehementissimo modo sunt subjectae, rarissime totum corpus perturbare, Westio assentiendum nobis esse putamus, principales causas morborum portionis vaginalis in utero esse sitas existimanti. Cui opinioni, quod Virchow contendit hypertrophiam uteri a proclivitate quadam proficisci non videtur repugnare. Quum corpus uteri pro compositione anatomica momentoque tanto infunctionibus ejus posito multo majoribus sit viribus quam portio vaginalis, qua ille ut appendice est instructus, id maxime probabile mihi videtur, inflammationes portionis vaginalis utero affecto procreatas remanere posse, utero jam refecto. Ad sententiam confirmandam portionem vaginalem minore esse praeditam sensibilitate West affert, quae sequuntur. „Die alltägliche Beobachtung zeigt, dass der cervix uteri gewaltsam dilatirt, dass Incisionen in demselben gemacht, dass seine Gewebe mit den stärksten causticis gereizt, oder mit dem Glüheisen touchirt, oder Portionen desselben mit dem Messer entfernt werden können mit einer Ungestraftheit, die mit der Annahme gänzlieh unvereinbar ist, dass der Theil mit hoher Vitalität und Sensibilität begabt sei.“

(West, Frauenkrankheiten, pag. 133.)

Symptomata.

Quum hypertrophiae portionis vaginalis ex tam variis causis existant, facile intelligi potest, eas variis se prodere symptomatibus. Quarum decursus acrior est et quae minores abortu effectae saepius observantur, portione vaginali valde pressus patibili et dolore sunt insignes in osse pubis, qui saepe usque ad spinam dorsalem et femur pertinet. Gravissimae molestiae haemorrhagiis, quae abortum consequi solent, parantur. Conspicuae sunt subito accessu et digito per vaginam perscrutans magnas copias invenies sanguinis coagulati, quibus plerumque aegrotae anaemicae fiunt et saepe inervatio valde perturbatur, ut haud raro hystericae notae observentur. Accedunt dolores capitis, aestus, pulsus acceleratus, quae vero symptomata mox evanescunt haemorrhagiis sedatis aptaque adhibita cura viribus recreatis. Multo graviores hypertrophiae chronico decursu, sive causa morbi in idiopathica affectione portionis vaginalis constet sive in affectione corporis uteri. Me non valde falli existimo opinione, inter accedentes illas affectiones inprimis esse memoranda et hypertrophiam et prolapsum uteri. Aegrota tum alvum sentit pressum, quasi quodam onere incerto deprimente, alvo torminibus contracta, valde ab eundo impeditur et multis variisque percoquendi perturbationibus minore motu corporis effectis torquetur. Quum ita obstructiones, hypochondria, tormina colica necessarie subsequantur, similiter uterus aegrotans presso intestino recto alvi dejectionem impedit concoctionemque perturbat, itaque aegrotae ingravescere videmus affectiones et dolores. Eodem modo utero in vesicam urinariam premente molestiae mingendi proereantur. Menstruum plerumque profusum, non apparet justo tempore, est mutatum aut omnino deest. Orificium uteri hiat, quum portio vaginalis in externum sit replicata, rubefactum et pituita vitrea obtectum. Si portio vaginalis magnopere amplificata, vehementer vaginam irritat. Dolores ea re provocati insomnia faciunt; totum systema nervorum perturbatur predunt se communia symptomata, palpitatio eordis, angor, nausea vomitus universumque agmen molestiarum hystericarum. Coitu numquam fere frui possunt hypertrophia affectae et nobis vitam feminis sanis, si non conceperint esse molestiae videntibus, facile videtur intellectu, feminas hypertrophia portionis vaginalis affectas mortem anteponere vitae.

Diagnosis.

Diagnosis iterna perscrutatione semper certo et pro comperto institui potest, nisi quis labatur per errorem, hanc affectionem confundens cum in choato uteri prolapsu vel epitheliomate vel carcinomate colli uteri. Hypertrophia simplex tum aequabilis, portione vaginali magnitudine ovi columbini vel juglandis, torum varie incisum cum orificio in medio formante tum non aequalis aut ambobus labiis velut simplicia vel profundis incisionibus in linguae speciem formata tubera prominentibus, aut uno eorum, praecipue anteriore, magis deformato et rostro simili, levi pannoso alterum confornicante. (Förster's pathologische Anatomie, 1854, pag. 292.)

A priore errore prohibemur conando uterum in proprium ejus situm reponere. Epithelioma et carcinoma colli uteri praecipue mollitudine et proclivitate ad haemorrhagias sunt insignia. „Die Papillargeschwulst vergrössert den Mutterhals beträchtlich und lässt ihn lappig, endlich zottig zerklüften (Uebergang in Zottenkrebs), was bei einfacher Hypertrophie des Scheidentheils nicht vorkommt; letztere neigt auch nicht zur Blutung.“ (Günther, Lehrbuch der blutigen Operationen pag. 129.)

Carcinoma portionis vaginalis plerumque fungos haematoides praebet. Initium capere solet ab infiltratione aequali portionis vaginalis, quae ea re increscit et in inaequale tumulosum tuber mutatur. Priusquam haec infiltratio usque ad compaginem cervicis perveniat, plerumque tunica mucosa perrumpitur et postea tum luxuriatur cancer et emollitur, tum ulceratione dissolvitur. Illud quum acciderit tuber satis celeriter amplificatur, botryitidi simile, molle, facile edens sanguinem. (Förster's pathol. Anatom. pag. 309.)

Prognosis.

Ipsa portionis vaginalis hypertrophia fere numquam mortis causa esse potest. Ligatura candida hypertrophia sublata semper dici potest, fore pro certo, ut aegrota convalescat. Difficilior erat prognosis illis temporibus, quum cultrum, ligaturam et „écrasement linéaire,“ a Chassaignac inventum, adhiberi necesse erat, quoniam ad operationem hac methodo perficiendam saepe corpus uteri erat detrahendum, quam ob rem peritonitis et haemorrhagiae operatione finita observabantur. Magno est momento aetas aegrotae,

num polleat viribus, denique tempus, per quod morbus jam duraverit. Quo prius hypertrophia cognoscitur, eo facilius curatur, quum malo sublato, quominus alii morbi uteri gignantur prohibeatur. Qui vero si sunt hypertrophiae causae Prognosin valde obscurant.

Therapia.

Quum in hypertrophia portionis vaginalis uterus morbo affectus sit, sive, in eo causa hypertrophiae sita sit, sive ex portione vaginali laboret, sine dubio in curanda hypertrophia ejus oratio nobis erit habenda. Catarrhi uteri remediis adstringentibus siphone injectis, inter quae acidem tannicum (℥ß cum ʒvj aquae mixtum cujus mixturae 1 ad 2 cochlearia cibaria denuo ℥jv — vj aquae diluantur.) alumen (ʒj cum ℥jv aquae) ceteris auteponenda, et medicamentis intrinsecus adhibitis ut purgantibus, alcalibus carbonicis, adstringentibus, curandi sunt. Tamen vero universa aegrotae valetudo intuenda est, quum catarrhus plerumque non causa sit aliorum morborum sed potius eos sequatur. Toto corpore uteri hypertrophia affecto in muliere vigenti viribusque integra Meissner (Frauenzimmerkrankheiten p. 585,) sanguinis detractiones, purgantia carbonica et clysmata, diaetam antiphlogisticam, quietam aequam positionem, lavationes tepidas totius corporis, injectiones frigidas, potiones dilutas maxime commendat. Si aegrotae status talis, ut pari jure vel acutus vel chronicus vocari possit, minores phlebotomiae, lavationes frigidae, si aegrota eas perferat, aquae prosilientes (Douchen) cibique ex herbis parati ceteris anteponenda; pariter providendum, ut alvus sit bene laxa. Symptomata nervosa tonicis et antispasmodicis medicamentis tollenda; prolapsus uteri quam maxime fieri potest pessariis sublevandus.

Tota re mihi errare videntur, qui jodum intrinsecus in hypertrophia portionis vaginalis curanda adhibendum esse putant, non ea solum de causa, quod omnino intelligi non potest, quomodo jodum, quod medicamentum vocant resorbens, singulas certas corporis partes hypertrophia affectas sanare possit, sed praecipue propterea, quod inter omnes peritos constat, jodum nullam vim habere specificam in hypertrophiis et neoplasmatibus. Jodam continuo adhibito perficutur, ut pars hypertrophia affecta minora capiat incrementa, simul vero totum corpus minus increscat, itaque hic morbi curandi modus toti copori magis nocet quam pro-

dest. Verum quidem negari non potest, glandulam thymum ultra modum deformatam jodo emolliri minuique.]

Quam ob rem minime jodum omnino rejiciendum, altamen tantum in glandula thymo curanda certi et secundi observati sunt eventus, „Ueber ein Verkleinern oder gar gänzliches Atrophiren der weiblichen Brustdrüsen, der Ovarien, oder der Testikel differiren die Angaben sehr; eine derartige Einwirkung des Jods wird von sehr vielen zuverlässigen Beobachtern entschieden widersprochen und eine solche tritt überhaupt wohl nur erst im Gefolge der allgemeinen Abmagerung nach Jodgebrauch ein (Schuchardt, Arzneimittellehre, pag. 208.)

Augusta Ermler, 32 annos nata, abhino annos septem ex portione vaginali hypertrophica laborat. Portio vaginalis tam lente increvit, ut aegrota anno superiore demum, quum morbus jam sextum annum duraret et portio vaginalis hypertrophica prolapsu uteri usque ad vulvam promineret, medicum consuleret. Aegrota in nasocomium urbis recepta, quum uterum gravissimam et mollissimam corporis partem esse putaret, operationem in eo non est passa et Kali jodato per complures menses est curata. Minimo vero jodo adhibito hypertrophiam diminui observari potuit. Itaque dimissa est, pessario ad sublevandum uterum in vagina imposito. Quinque mensibus post mense Februario h. a. denuo medicum consuluit, quum portione vaginali magis tumescente uteroque prolapso prorsus ab eundo et laborando intercluderutur. Mensura portionis vaginalis acta longitudinem praebuit 8 Centim., quorum 4 extra vulvam in pariete anteriore, 12 centim, quorum 5 centim, extra vulvam in pariete inferiore; metiri coeptum ex fornice vaginae. Quum ad removendam portionem vaginalem aegra medico se non permitteret denuo Kali jodatum adhibitum est ad hoc tempus sine ullo effectu. —

Quo si docemur, jodo intrinsecus ad hypertrophiam portionis vaginalis tollendam adhibito frustra tempus perdi, tamen pariter concedere oportet methodo galvanocaustica nondum cognita difficillimum fuisse portionem vaginalem hypertrophicam operatione removere. Hac demum salutari inventione per illustrissimum virum Middeldorpf in usum omnium communem inducta medici tam mollem corporis feminarum partem tanta substantiae detractione minuere ausi sunt et quum in ceteris tam numerosis operationibus galvanocausticis tum in hac felices et optatos adepti sunt eventus.

Dr Sedillot dicit (Trailé de Médecine Opératoire pag. 473.)

L'ablation du col dela matrice appartient à la chirurgie moderne. Il ne paraît nullement qu'on la doive rapporter à Lauvariol, ou à Lapeyronie. Proposé, en 1787, par Wrisberg, elle fui exécutée pour la premiére fois d'une manière positive, en 1801, par Osiander. Dupuytren se hâta de suivre l'exemple du chirurgien de Goettingen. Recamier et Lisfranc surtout ne tardèrent pas à en devenir d'ardents partisans. Cette opération après avoir joui dela plus grande vogue est aujourd'hui presque complétement abandonné, en raison. sans doute, des nombreux revers, qui sont venus démentir ou au moins compenser des succès beaucoup trop exagérés.

Quum ad removendum collum uteri ligatura vel excisione uti necesse esset jure, quae Sedillot de hac re dixit, contendi poterant. Ligatura uti ad removendas partes crassiores, quarum diameter major 1 ad 2″ periculosissimum est, et vehementissimos efficit dolores. Medico et quam maxime constringenti raro contingit, ut in parte removenda sanguinis circulationem interrumpat, et quum ad perficiendam percisionem semper complures dies requirantur, plerumque purulentionem videmus consequi, quae non modo aegram intolerabili foetore circumdat, sed etiam pyaemiam afficit mortemque affert. —

Excisio propter periculum haemorrhagiis paratum et propter difficultatem cultro libere in loco abdito utendi prorsus rejicienda. Ut culter melius posset adhiberi, conati quidem sunt uterum detrahere, sed quod timuit Dr. Lewinski, ne peritonitis tractione oriatur, in opusculo de colli utero amputando, tam bene et praeclare est explicatum, ut farere non possim, quin hoc loco ad verbum afferrem.

Der wesentliche Vortheil der Galvanocaustik ist meines Erachtens noch nicht d e r der Vermeidung der Blutung, sondern der, dass man, ohne den uterus gewaltsam durch Zangen herabzuzerren, die Vaginalportion quer durchschneiden kann. Dieser Umstand nämlich, die Belastung des Uterus an seinem Platze scheint mir für diese Operation überhaupt, mag sie durch durch das Messer oder die Galvanocaustik ausgeführt werden, von entscheidender Wichtigkeit zu sein und ich erlaube mir deswegen auf einen damit in Zusammenhang stehenden Punkt näher einzugehen, nämlich a u f d i e G e f a h r d e r B a u c h f e l l e n t z ü n d u n g bei der Herabzerrung ees Uterus, wie sie häufig zur blutigen Excision des Mutterhalses angewendet wird. Bekanntlich steigt das Bauchfell, die hintere Douglas'sche Falte

Tiefe dieser Falte, wozu man verschiedene Cadaver vergleicht, sehr verschieden, sie bekleidet zuerst den obersten Theil der Wand der Scheide (des Scheidengewölbes) und schlägt sich von da an auf den Körper des uterus hinüber; bildend, vom Mastdarm auf den Uterus hinüber; doch ist diese Falte steigt bei jungfräulichen Individuen weiter herab, als bei Frauen, die öfter geboren haben, indem der nach aufwärts wachsende Uterus das Peritonaeum nachzieht. Zahlreiche Präparate, deren Anschauung ich der Güte des Herrn Professor Langer, der sie besitzt, verdanke, weisen dies unzweifelhaft nach Etwas ähnliches mag bei Vergrösserung des Gebärmutterkörpers durch Neubildungen vorkommen, wo der Uterus höher hinaufrückt, so wie das Umgekehrte bei Neubildungen in dem unteren Segmente des Uterus der Fall sein mag, namentlich bei vorhandenen Adhäsionen, wie sie durch die so häufig bei leicht hinzutretenden partiellen Peritoniden gesetzt werden. Bei diesen letzteren Zuständen ist das Herabziehen des unteren Uterus-Segment gewiss keine gefährliche Sache. Wenn ich auch nicht glaube, dass das Peritoneum so leicht gerissen werden kann, so wird es doch gezerrt und die etwaigen Anlöthungen können leicht abgerissen werden, so wie man es bei häutlichen Schnitten ebenfalls leicht gefährdet. — Ich glaube mich hiervon durch mehrfache Versuche am Cadavern überzeugt haben. Eröffnet man, namentlich bei einer Puerpera, wo der Uterus noch etwas voluminös ist, die Bruchhöhle und folgt mit dem Finger der in Rede stehenden Bauchfellfalte, während man den Uterus von der Scheide aus mittelst spizen Haken herabzieht, so überzeugt man sich, dass die Falte bei diesen Versuchen ungemein tief herabsteigt und leicht einreissen oder verletzt werden kann.

Ich citire hier nur noch eine Beobachtung von Scanzoni, wo dieser ausgezeichnete Gyraecolog, nachdem er sich auf das Entschiedendste gegen die Herabzerrung des Uterus ausgesprochen, von der er Peritoritis fürchtet, auch mit dankenswerther Offenheit einen Fall mittheilt, wo er mit Morawek zusammen die Operation mit Herabziehung des Uterus vorgenommen hatte und bei welchem bei der Section eine 2 Zoll lange quere Stuptur des Bruchfelles an der tiefsten Stelle des Donglas'schen Raumes beobachtet wurde. (Scanzoni, Lehrbuch der Kranbheit der weiblichen Sexualorgone pag. 254.)

Recentiore tempore disciplina a Chassaignas instrumento, quod écraseur linéaire coacta, ditata est. (Traité

delécrassement linéairo; nouvelle methode pour prévenir l'effusion du sang dans les opérations chirurgicales, Paris 1856.) Quod instrumentum similiter adhibetur ac ligatura, praeterea vero commoda praebet, quum celerius operationem perficiens non tantos paret dolores et minus saepe purulentationem procreet, aegra non coacta, ut separatam operatione partem et putredini commissam in proprio corpore per quoddam tempus servet. In hac operatione haemorrhagia prope eviattur.

Instrumentum constat ex catena quae articulis commissuris (Charniere) firmis conjunctis formatur. Catenae utraque pars duobus radiis (Stangen) metallicis serratis inserta, qui vagina arte eos cingente continentur. In infima parte radiorum manubrium, quo recta prout necesse est serras in vaginam retrahere potest, sinistra in cylindro ligneo depresso, quo vaginae pars superior est circumdata, conquiescente. Ne catena partem amputandam complexa recedat, duobus latera instructa sunt hamis, quibus serrae quolibet situ figi possint.

In tumoribus majoribus removendis hoc instrumentum semper ligaturae anteponendum, numquam vero, ubi in cavum corporis penetrari necesse est, adhiberi potest, quum catena propter crassitudinem minoremque flexibilitatem partem amputandam arte et firme complecti non possit.

Alii sunt effectus ligaturae galvanocansticae, a Middeldorpfio inventae.

Ligatura candens tribus constat ex partibus principalibus, ex manubrio, tubulis ligaturae cum filo platinae et ex axe. Tubuli inserti sunt, uterque in capitulo, quibus ex latere affixa fila metallica polis bateriae inserta. Capitula feruntur duabus parvulis columnis. Manubrium cum columnis duobus arcubus conjunctumest, quorum in curvaturis ita axis est sita, ut pro ratione torqueri possit. Filum platinae, quo in superiore tubulorum parte ansa formatur partes eorum inferiores superat ejusque duo fines per axem sunt trajecti et in eo muniti. Ut axis rotatio, quem in modum opus sit, dirigi possit et axis in quolibet situ permaneat, rotula et spira e ferro recellenta facta in latere affixis efficitur.

Ligatura candente propter summam ejus flexibilitatem facillime in cavum corporis pervenire partemque amputandam firme possumus complecti; ferrore fili candentis haemorrhagia prohibetur, et operatio celeriter prope sine ullo

dolore perficitur. Sectio plana, aequalis ut cultro perfecta neque ulla pyaemiae occasio datur.

Igitur ligatura candens, quae commoda instrumenti, éerasseur vocati, exsuperat omniaque ligaturae et cultri damna eventu prosperrimo tollit in removenda portione vaginali hyperqrophica anteponenda.

Historia morbi et casus, in quibus methodus galvanocaustica a Middeldorpf feliciter adhibita est.

Helena Grohl, uxor fabritignarii, 51 annos nata. Recepta in nosocomio hujus urbis d. 6. 1. 60. Dimissa d. 27. 7. 60.

Diagnosis. Prolapsus uteri et vaginae totalis. — Aegrota, forma robusta, semper sana, quae sextum peperit et in partibus prioribus perinaei ruptiones habuit, uterum descendere animadvertit. Ex quo descensu sensim completus uteri prolapsus conformatus est, quem postea vagina totalis sequabatur. Jam sex annos aegrota his molestiis affecta est; habet dolores, haemorrhagias, neque urinam, ut necesse, movere potest. Uterus hypertrophicus, magnitudine duorum pugnorum et inter femora jacens, totaliter replicatus est; tunica characterem mucosae non servans, Epidermem praebet. In portione vaginali magna copia ulcerum, quae Rhagades dicuntur et saepe sanguinem mittebant, apparet. Consistentia uteri prolapsi est aucta, qua re ipse reponi non potuit. Aegrota tepidariis (lauwarme Sitzbäder) utitur; in lecto jacens, situm tergi servat; ut laxet clysmata accipit.

Die 11. 1. Aegrotae valetudo melior fuit, et uterus reponi potuit. Portionis vaginalis ulcera magnam partem sanata. Memorabilia sunt uteri labia, epistomiorum formas habentia.

Die 12. 1. Cauterisatio fit cauterio galvanocaustico (Porcellanbrenner) formans strias longitudinales et circulares. Tunica mucosa vaginae mutata fere minime sensibilis, sed pars circa vaginae introitum maxime est dolorosa. Caute-

risatione facta, uterus reponitur et linteis carptis (Charpiebäusche) in oleo immersis retinetur.

Die 13. 1. Aegrota se post operationem dolores flagrantes habuisse dicit; pulsus celeratus, 96 p. m.; faciei rubor suffunditur; in capite dolores; nervi ita sunt irritabiles, ut minimo strepitu aegrota perhorrescatur; capiti cataplasmata frigida imponuntur.

15. 1. Valetudo melior; pulsus 84 p. m.

16. 1. Valetudo bona; lintei carpti novis restituuntur: purulentatio non est copiosa.

21. 1 In vaginam complures injectiones fiunt; purulentatio minima; valetudo bona.

25. 1. Prolapsus non jam ita pressu, quam prius, augetur; in vagina dolores; ulcera cauterisata ad cicatrices coeunt.

7. 2. Cauterisatio reiteratur, dolores tamen minimi.

8. 2. Irritabilitas nervorum eadem erat ac post primam cauterisationem; pulsus 96 p m. dolores parvi.

12. 2. Valetudo bona; dolores nulli sunt; purulentatio minima, uterus quam maxime linteis carptis relevatur; aegrota jacens in lecto, situm tergi servat.

23. 2, Labia uteri hypertrophica ligatura candente amputantur, qua operatione aegrota nec habet dolores nec haemorrhagias; ligatura candente ortae crustae callosae sunt et firmae.

25. 2. Post operationem febris non orta est; crustae sunt calore sulphuris et incipiunt emolliri; superficies, operatione facta, lumina numerosa vasorum crassitudine acus praebet et calore rubido diversa est a lutea parte.

2. 3. Valetudo bona. Vulerum superficies se abluebat; granulationes novae in ea oriebantur.

5. 3. Cauterisatio cauterio galvanocaustico rei terata est, non vero contigit, ut uterus ita, quam antea protraheretur; inprimis striae longitudinales cauterio galvanocaustico factae sunt.

7. 3. Febris fere nulla, nervorum irritabilitas ut antea; in auribus aegrota sentit susurrum.

10. 3. Valetudo bona. Granulationes argento nitrico cauterisantur; vagina linteis carptis expletur, ne uterus descendat.

27. 4. Cauterisatio striis longitudinalibus et circularibus reiteratur est. Uterus ne viquidem detrahi potuit; dolores minimi.

29. 4. Febris levis, irritabilitas vero nervorum cum doloribus non cessit.

30. 4. Valetudo melior.

6. 5. Aegrota tepidariis, ex corticibus querneis paratis utitur; lintei carpti tannino consperguntur; uterus decrescit et duabus partibus minor est, quam quo tempore agrota in nosocomio recepta est.

20. 5. Permittebatur, ut aegrota vincula circa ventrem gerens, ambularet. Prolapsus uteri minimus est; portio vaginalis tertia modo parte digiti extra vulvas majores videtur.

19. 6. Cauterisatio striis longitudinalibus et circulaıibus reiterata. Dum cicatrices, prima cauterisatione ortae, sine sanguine sunt et calore pallido, cicatrices postrema cautelisatione ortae plenae sanguinis et succi apparent. Granurationes, quamquam calores et humores habebant, numquam nimis luxuriatae sunt.

21. 6. Iterum cauterisatione facta, febris orta est simul cum nervorum irritabilitate; ceterum nulli dolores.

30. 6 Valetudo bona; dantur lintei carpti tannino conspersi.

27. 7. Aegrota, in integrum fere restituta, ex nosocomio sanior dimittitur atque spongiam in vagina tollere eamque T-vinctura (T-Binde) munire jussa est.

L.. R.., uxor sartoris Varsoviensis, 32 annos nata, carcinomate medullari portionis vaginalis laboravit. Magna pars ejusdem d. 1. 4. 56. amputata est ligatura candente. Haemorrhagia post operationem nulla. Aegrota ex noscocomio d. 30. 4. 56. sanior dimissa posteriore tempore iterum carcinomate in portione vaginali affecta est, quae causa mortis fuit.

M.. M. uxor militis ex oppido Posnensi Lissa, 35 annos nata, hypertrophia et induratione oris uteri posterioris laboravit. Pars hypertrophica d. 14. 7. 59. ligatura candente remota atque uxor d. 27. 7. 59. sanata dimissa est.

Fr... L.. ex vico H.... 32 annos nata hypertrophia portionis vaginalis laboravit; labium anterius ejusdem d. 27. 7. 59. ligatura candente amputatum est. Nec haemorrhagia, nec dolores post operationem et aegrota die quindecimo sanata dimitti potuit.

R.. A.. rustica, Bregensis, 43 annos nata, carcinumate labii anterioris portionis vaginalis magnitudine dimidii ovi gallinae laboravit. Ligatura candente d. 9. 8. 60. labium auterius persecatum est. Haemorrhagia die septo orta,

linteis carptis suppressa est, atque rustica in meliore statu dimissa est.

Per scrutatio microscopica portionis vaginalis hypertroqhia affectae et partis cervicis uteri per Dr. Ressel facta.

A. superficies externa.

Speciem labri praebuit, qualia os claudunt. Ubi in portione vaginali cutis externa in internum se declinat, erat subtile sratum epidermiale, quod infra ductum in cervice uteri epitelio contectae tunicae mucosae praebuit speciem.

B. Tunica mucosa.

In transversum paululum oblique ab externa parte ad internam directas plicas praestitit, quae palmatae dicuntur et in medio in superiore latere assurexerunt in basi satis lata duo tubera parva in modum polypodum.

Exploratio anatomica microscopio adhibito.

A. Superficies externa.

I. Epidermis partis observatae.

1) Epithelium epidermis.

Insignia cellularum cornearum strata, quae alia supra alia jaceutia externam portionis vaginalis texturam formabant $^1/_{45}$''' crassitudine.

2) Substratum epidermis.

Rete malpighi admodum erat adultum et triplici crassitudine strati cornei. Papillae valde prolongatae vel singulae vel ramosae in rete Malpighi se insinuabant. Vasa illas assectabantur finibus laqueos formantes. Papillae ad corium corneum pertinebant. In basi latae erant $^1/_{255}$''',

II. Substratum exploratae portionis vaginalis.

1) Stromae telae cellulosae immatura erat. Corpora ejusdem erant tum fusi forma tum lenticulari, ut erant sita. Maximus diameter $^1/_{225}$'''. Kali causticum 10% adhibitum speciem iis praebuit corpusculorum cartilagineorum. Ordo eorum in parte stromatis principali aequabilis. Una tantum perturba-

tio effecta erat, quod tractus fasciae circa vasa circulis fibras dimittebant.

Jam microscopium adhibenti clariores et obscuriores tractus se praebebant paululum albi et quasi ambitus pellucentes in stromete tela cellulosa confecto, ut tractus ejusdem aut transverso erant percisi ita vero ut clariores illi tractus vasa longitudine percisa prasequerentur, quorum tunicam adventur, quorum tunicam adventitiam formabant.

2) Partes in stromate.

Vasa ut supra dictum satis crassis vaginis fasciae erant circumdata, quasi tunicam adventitiam formantibus. Tunica media vel intima perspici non poterat potissimum in vasis minore lumine, in vasis autem majore lumine internam erat corium musculosum, mediae respondens. Lumine saepe diametrum $^1/_{225}$''', vasa cum vaginis $^1/_{90}$''' ad $^1/_{60}$''' praestabant.

Musculi

acido nitrico et jodo ad perscrutationem praeparati sunt. Qua parte cervix uteri operatione ab reliquo utero erat separatus, musculi satis late patebant. In portione vaginali musculi multo rariores et fascia submoti. Magna etiam vasa, quae juxta adventitiam fasciae ad cervicem uteri muscularem ostenderunt, in portione vaginali eam amiserant.

B. Tunica mucosa.

I. Epithelium.

II. Substratum.

In sectione transversa tunicae mucosae epitheliam cylindricum se ostendit.

1) Stroma.

Nucleistrati conjunctivae telae (Bindgewebes) multo erant teretiores et magis fusiformes.

5) Partes in stromate.

In parenchymio membranae mucosae distinctae inventae sunt glandulae furcillatim divisos uteres cum ductu vel sub oculos se praebentes. Interior earum pars epithelio cylindrico, quod optime cerni poterat et ex tunica mucosa ad glandulas pertinebat, erat vestita.

Cellae epithelii cylindrici longae erant $1/_{90}'''$, latae $1/_{50}'''$, latitudo ductus educentis glandulae erat $1/_{50}'''$, ipsa glandula erat longa $1/_2$—$1'''$.

Epicrisis.

Quod ad externam superficiem hypertrophiae portionis vaginalis pertinet et hic, quod jam Virchow in Archivo suo (Tom 7 1855 pag. 168) descripsit, idem se ostendit; character tunicae mucosae penitus in eum epidermis permutatus erat. Epithelium vaginae quod hanc in vaginam porrectam partem uteri vestire solet speciem epithelii lamellosi (Pflasterspathel) servavit et maxime expressum stratum corneum tulit.

De substrato commemorandum, pulcherrimas papillas ut in cute inveniri. Quarum nonnullae natura ramulosae non rugatione mutatae, quum acido acetico affuso illam speciem melius praeberent. Quae res et expressum stratum corneum et plenum tumidumque rete Malpighi omnes epidermis notas praebent. Hac epiderme contra naturam hic procreata cum vera epiderme comporata observandum est, papillas multo esse longiores, quam in aliis partibus, bases autem earum propterea multo minores esse vocandos, quod (secundum Kemusium) bases papillarum verae epidermis sunt latae $1/_{40}$ ad $1/_{60}'''$. Rationem hujus rei eo confici putandum, quod et in naturali epiderme papillarum latitudo cum longitudine decrescat ita ut potius sint filiformes.

Interna tunica mucosa nullas singulares permutationes ostendit praeter duo illa tubera tunicae mucosae polypodibus similia, quae autem tanto numero in cervice uteri inveniuntur, ut omittenda hoc loco videantur.

1) Epithelium tunicae mucosae a peculiari ejus natura non differebat.

2) Stroma illud in hypertrophiis tam coustanti qualitate erat immaturae fasciae, neque in textura quidem discrepantia animadverti poterant, nisi major numerus corpusculorum fasciae,

   Praecipue copia haud parva stromatis fasciae commemoranda.

3) Vasa propria cuticula externa carebant, cujus in loco tractus telae cellulosae vasorum formae corre-

spondebant. Quae res quum hic tum omnino in partibus hypertrophia affectis observata est.

4) De musculis, eorum situ et numero commemorandum, eos naturali ordine sphincteris uteri, esse inventos, majore autem numero, quam sanae huic parti esse solent. Acido nitrico adhibito facile a tela conjunctiva, qua erant circumdati separari poterant, quod, ut Koelliker dicit, in sano utero, fieri non solet.

5) Maxime autem glandulae forma et magnitudine a naturali qualitate differebant. Quamquam Gerlach et Koelliker glandulas uterinarias tantum in fundo uteri et simplices glandulas, pituitarias esse in cervice existimabant, tamen glandulas hic observatas pituitarias appellare non possumus; erat enim omnibus glandularum uterinariarum uteriformium notis praeditae. Multo sunt majores et ampliores, quam in sano utero non gravido, quarum longitudinem $^1/_{500}$''', latitudinem ductus offerentis $^1/_{800}$'''. Gerlach excedere negat, quum hae a nobis observatae longae erant $^1/_2$ -- 1''', earum ductus efferentes lati $^1/_{50}$'''.

Hypertrophia igitur, quam observavimus, omnia fere formarum elementa histologica pariter affecit, habitum autem et externam speciem sanae portiouis vaginalis servavit, externa atque interna superficie similia, formarum elementa ostendente nisi textura vasorum erat commutata et copia major; quam Virchow descripsit, hypertrophiae habitum internae superficiei partis cervicalis praebuit.

Restat, ut viro Illustr. Middeldorpf, qui in hoc libello conscribendo historiis morborum et libris necessariis benigne me adjuvit, ex intimo animo gratias ago quam maximas

Vita.

Natus sum Arminius Kirschstein die III. mensis Decembri a. h. s. XXVIII. Koschmini, urbe Posnensi, fidei evangelicae addictus, patre Guilielmo, matre Paulina e gente Banke, quos ambo morte mihi jam ante nonnullos annos abreptos valde lugeo. Primis literarum elementis domi imbutus adii scholam Krotoschiniensem, postea gymnasium Vratislaviensem Magdalenaeum, quod adhuc auspiciis directoris Schoenborn floret. Post quam hebdomades VI. classem secundam frequentavi, agriculturae, parentium desiderio cedens operam dabam per annos IV. et inde annos duos in regis exercitu stipendia feci. Patre mortuo h. s. anno LIV. amore medicae artis impulsus iterum gymnasium Krotoschiniensem, quod adhuc auspiciis directoris Gladisch floret, adii Testimonio maturitatis accepto anno h. s. LVII. mense Aprili universitatem Gryphiam petii et ab ill. Schoemann, illo tempore fasces academicos tenente, civium academicorum numero adscriptus, apud ill. Budge, tum gratiosi medicorum ordinis Decanum spect. nomen dedi. Per triennium disserentes audivi viros illust. Baier, Bardeleben, Budge, Eichstedt, de Feilitzsch, Grohé, Haeser, Huenefeld, Laurer, Muenter, Niemeyer, Pernice, Schultze, Ziemsem.

Postea almam petii Viadrinam, ibique ab ill. Friediieb, tum fasces academicos teneute, inter cives academicos receptus et ab ill. Betschler in album gratiosi medicorum ordinis inscriptus sum. Per duo semestria audivi viros illustr. Betschler, Cohn, Foerster, Heidenhain, Klopsch, Lebert, Middeldorpf, Paul. In excercitationibus clinicis et policlinicis benignissime

me adjuverunt viri Experient: D. D. W. Freund, M. Freund, Radermacher, Ressel, Stark.

Quibus omnibus viris egregie de me meritis gratias ago quam maximas.

Tentaminibus vero et philosophico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione rite defensa sammi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

Theses.

1. Methodus Roseri in operatione Phimosis praeferenda est circumcisioni.
2 Remedium Epilepsiae solum est impetus chirurgicus.
3. In operatione hypertrophiae portionis vaginalis methodus Galvanocaustica anteponenda est omnibus aliis methodis.